



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

38. Qualiter privilegium condatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

jubeat defendere atque solidum in omnibus custodire, ut nullatenus ab infestatione malorum hominum possit infringi, sed delectet ibidem Abbati vel sacerdotibus seu monachis ibidem consistentibus pro vita ipsius & filiorum ejus vel exercitu & omni populo catholico quieto ordine Dominum supplicare. Si quis verò.

Qualiter privilegium condatur.

XXXVIII. Dominis apostolicis presentibus temporibus & futuris, quicumque sub fide catholica pastoralis sectantur officia, ille Episcopus Christi humilis. Opportunum est etiam ut Deum timentes propter ventura futuraque judicia diligentibus Deum bonum operare, quatenus qui Pontifex vocatur in populo, timentibus Deum succurrat affectus, ut qui seculum calcant & Christo servire desiderant, per consensum pastoris quieti ab omnibus infestationibus vivant. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter monasterio in pago illo, qui dicitur ille, quem illustre vir ille in alode proprio construxit, & pro totius defensionis studio per suam epistolam ad præcellentissimum Domnum Regem Burgundiae ipsum monasterium aspicere decrevit, ut communis mercis illius pro fundamento & regale clementia pro defensionis auxilio crescat apud Deum, & nobis jamdicto Domino glorioso Regi illo opportunum est petere ut privilegium monachis ibidem habitantibus deberemus largire, ob hoc maxime quia solet contingere ut morientibus religiosi Episcopi, pastorem locum suscipiant seculares, & res quæ pauperibus fuerunt condonate magis per gasindos quam per sacerdotes dispergantur, & ecclesiastica vita neglecta conlata bonorum magis per venatores & canes &, quod est gravius, per meretrices expendantur, vel religionis norma distructa levitate laicorum secularia injustè consentiantur, & per eorum iniqua consilia monachorum vitam conturbare præsumant. Propterea ergo ab hac parte semper Christo propitio direttore dirigentes communi voluntate ille Episcopus & ceteri consensimus ut in eis privilegium claro animo confirmaremus. Statuentes ergo jubemus sub testimonium sanctæ Trinitatis & pretium sanguinis Christi coram Deo & angelis atque archangelis ut de prædicto monasterio illo vel quicquid ibidem tam regio munere quam privatorum vel quibuslibet rebus atque corporibus est conlatum aut inantea

Tom. II.

conlatum fuerit, ut nullam exinde Episcopus civitatis illius habeat potestatem, neque Archidiaconus illius, vel ministri & actores Ecclesiæ, aut quilibet ex clero in rebus prædicti monasterij nullam præsumat habere principatum in nullam omnino rem quod dici aut nominari potest, non pro pacto exactandum, non pro mansionaticos requirendum, non pro totius omnino re repetendo, non pro Abbatem constituendo, non pro ministeria describendo, non pro altaria aut tabulas consecrando, non pro sacros ordines dedicando, illius civitatis Episcopus nullum ibidem præsumat habere accessum, nisi fortasse per communem consensum Abbas vel ipsa congregatio cum caritatis gratia pro sanctæ vitæ meritis crediderit evocandum. Et si fortasse ab eis fuerit evocatus, non hoc in consuetudine vertat, nec munera exinde requirat, sed simpliciter quæ à fratribus sibi fuerint oblata, & expleto caritatis officio, ad propria, sicut de reliqua Regis domo, cum pace discedat, quia dignum est ut quod Rex hujus seculi cum suis proceribus pro commune salute voluit esse constructum, sub integro privilegio sit in perpetuum à calumniandi occasionibus conservatum. Confirmamus igitur jure perpetuo ut cum Abbas ipsius cœnobij de hac vita migraverit, quemcumque sibi monachi ibidem habitantes secundum Deum elegerint, absque ullo arbitrio civitatis ipsius antelitis ipsi sibi monachi pastorem instituant, qui eorum sacrum ordinem instanter adtendat. Cum verò fuerit opportunum Ecclesiam dedicare, aut sacros ordines benedici, vel tabulas consecrare, quemcumque de religiosi Episcopi Abbas ipse vel monachi sibi voluerint invocare, in eorum maneat potestate. Et si, quod absit, ibi ordo sanctus tepescat, & Abbas monasterij hoc per se emendare neglexerit, aut etiam ipse cum monachis statuta regularia servare contempserit, etiamsi vix pauci videantur de monachis quorum religio in Christo proficiat, potestas illis maneat quemcumque sibi elegerint de proximis monasteriis quem rectius & sanctius secundum regulam sancti Benedicti invenerint expetere, ut eorum salubri consilio studeant sanctum ordinem revocare. Statuimus etiam mulierum accessus intra portas monasterij nullatenus fiat. Si quis itaque constitutionem presentem pro quocumque conludio mutare connaverit, reus omnipotenti Deo effectus à

O o ij

pace Christianorum omnium habeatur extraneus, & indissolubili anathematis vinculo vincus sortem damnationis Iudæ proditoris incurrat. Quod privilegium ut in perpetuo tempore conservetur, stipulatione subnixâ, manu propria.

In Dei nomine. Incipit epistola quæ formata dicitur sive commendatiua.

XXXIX. Reverentissimo atque religiosissimo & à nobis cum summa veneratione nuncupando illi Episcopo ego ille extremus sub pontificali officio Deo famulantium perpetuam in Domino Iesu opto salutem. T T A T A A A A I. D L X X V. Præfens frater noster ille petit ab extremitate nostra licentiam ad vestram almitatem proficiscendi atque vobiscum sive cum vestris habitandi. Cui & nos benivola mente & fraterno affectu, non solum ei copiam ad vos veniendi non negavimus, verum etiam ut à vobis sive à vestris gratificè suscipiatur exposcimus. Et si vobis placuerit ut aut in gradu quem modò tenet sacris altaribus ministret, aut ad altiorem gradum promoveatur, nostro sive nostrorum testimonio suscepto, id ei facere liceat, quippe qui nihil in eo tale noverimus quo id faciendi ei licentia denegetur. Bene namque in Ecclesia in qua hæcenus fuit educatus, bene conversatus, hoc nobis de se sive de sua vita ostendit ut, in quantum humana fragilitas scire potest, administratione sacrorum ministeriorum non sit indignus. Nos itaque, ut homines divini sensus insci, & arcanorum ignari, præbeamus de fratre quale scimus testimonium. Deus est enim quem occulta non fallunt, & qui omnium secreta rimatur, juxta illud: *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Has ergo litterulas ideo illi petere & nobis facere libuit ut ille non solum profugo aut abjecto non habeatur, verum etiam nostræ humanitatis & caritatis commendatione, à vestra fraternitate libentissimè suscipiatur. A M H N. X C V I I I. Salus æterna, quæ Christus est, & in hoc præfenti tempore vobis longævam salutem & in futuro cum sanctis & electis sempiternam largiri dignetur. Amen. D C X C I V.

v. Reg. 76.

Item alia.

XL. In nomine Patris P & Filij F & Spiritus sancti A. Ille Episcopus venerabilibus Præsulibus illis carissimis nobis patribus & confratribus pacem omnem & salutem sempiternam. Audientes præsentem Ecclesiæ nostræ filium illum, in eadem quoque natum, nutritum, atque cru-

ditum, & usque in presbyterij dignitatem à nostro præcessore provectum, vobis vestræque Ecclesiæ necessarium esse & utilem, mutua caritate & fraterna compassionem destinamus eam vestræ paternitati, ut in omnibus, sicut ex vestris uno, illo quoque utamini in Christo, hoc scientes, quia nullius malæ famæ apud nos usque nunc fuit, vita honestus, moribus simplex. Scientia quidem non extollitur à nobis: quia nec potest Homericæ, sed, ut ita dicamus, ut in pluribus non-civilibus sed exterioribus vulgò egonica. Et quia non divisa sed unica est Ecclesia Christi, non multiformis, sed concors, inter nos etiam quædam familiaritas præ aliis familiaritatibus animata, decet omnino ut & vos utamini nostris ut vestris, & nos vestris ut nostris. Hæc omnia invicem agamus in Christo Iesu Domino nostro. Et ut hæc nostræ humilitatis litteræ de præfato fratre vestræ caritati missæ non fictæ, sed fixæ, non ventosæ, sed firmæ comperiri valeant, Græcos apices, quos ecclesiasticus mos in hujusmodi rebus agendis decrevit, constituit, & obtinuit, subter addere cum numeris ad se pertinentibus curiosè decrevimus, hoc est, primos quos jam superius posuimus Patris P, Filij F. Spiritus sancti A, qui exprimunt numerum octogenarium quadringentesimum & primum, Petri quoque Apostolorum principis primam P, qui habet numerum, ut jam dictum est, octogenarium. Nostri quoque nominis primam, vestri secundam, accipientis tertiam, nostræ quoque civitatis, de qua scribitur, quartam, & vestræ, ad quam scribitur, quintam, Indictionis quoque præfentis anni numerum, & summam utriusque numeri. Addidimus præterea seorsum in conclusione epistolæ universa præfata, claudentes nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significat. Orate pro nobis orantibus pro vobis. Amen.

Item adhuc alia.

XLI. Clarissimo in Christo atque sanctissimo fratri illo Episcopo itémque ille indignus Archiepiscopus in Domino salutem optat. Præfens denique Presbyter ille nomine ad nostram confugit exiguitatem, nobis rememorans qualiter antecessor noster Dominus Ioseph eum ordinavit per deprecationem Frædegisi Abbatis in titulo sancti Martini in villa quæ dicitur illa, & recordans quòd nos in ipso die suæ ordinationis eum inquisivimus. Ideo ad vestram